



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Publica honestas ex matrimonio rato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Doctores supra citati, nam ex sponsalibus conditionatis non nascitur, quia illa nondum sunt vera sponsalia: at adveniente, & purificata conditione, jam sunt vera, absoluta & propria sponsalia: ergo, &c.

§. III. Publica Honestas ex Matrimonio Rato.

EX matrimonio tantummodo rato oriri impedimentum hodie dirimens matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, supra indicavimus, nam olim extendebatur usque ad gradum septimum. Iam inquiri, ejusmodi impedimentum oriturne, etiam ex matrimonio rato invalido?

2. Respondeo, esse bene distinguendum. Ita Pont. loco mox citando n. 5. alique passim; nam oritur ex invalido, quod invalidum sit ex omnibus aliis capitibus, præterquam, si sit invalidum ex defectu consensus. Quare, si matrimonium ratum fuit invalidum, quia fuit cum consanguineo, cum affini, cum Professa solemniter, &c. jam incurrit impedimentum dirimens Publica Honestatis ex matrimonio rato; at si fuit invalidum ex defectu tui liberi consensus, qualis etiam est consensus eo metu, ex errore personæ, ex amentia, ut notat Hurt. de matr. d. 2. 1. diff. 2. n. 8. impedimentum hoc non contrahitur.

3. Nota differentiam: Impedimentum Publica Honestatis ex sponsalibus nunquam ex Tridentino oritur ipsi sponsalibus invalidis. At impedimentum ejusdem publicæ honestatis ex matrimonio rato oritur semper, excepto cum affuit defectus ipsius consensus; tunc enim non oritur, ut dictum est.

Ex defectu ætatis, quando sufficiens consensus deficit pro matrimonio non incurritur publica honestas ex matrimonio rato, quia hoc est defectus pleni consensus: At vero, quia ille consensus valeret ad sponsalia, incurrit publicam honestatem ex sponsalibus, dicam infra Tr. 3. de spons. c. 2. §. 4. n. 4.

4. Quid quando Matrimonium ratum sit invalidum, quia contrahitur clandestine; id est, quia celebratur sine Parocho & testibus.

Respondeo. Non contrahi hoc impedimentum tenet Sanchez, l. 7. d. 70. n. 13; & Coninch, sed inmerito, nam propterea contra eos argui rectè Perez, d. 32. matr. sec. 3. citans Hurt. Pont. l. 7. cap. 36. n. 5. afferens declarationem Cardin. Averq. l. 7. §. 1. et 5. Ver. Addit. Sanchez, cum enim (ait) in hoc casu matrimonium non sit invalidum ex defectu consensus, sed ex defectu solemnitatis illi consensui auctoritate Ecclesiæ, non est ratio, cur impedimentum non easque concedamus.

5. Quid de Matrimonio rato conditionato per conditionem futuram suspendentem dicti Matrimonii consensum.

Respondeo. Dum manet conditionatum, non parit hoc impedimentum, quia tunc nondum vere est matrimonium. At adveniente conditione, parit, quia jam tunc absolutum est, & verum matrimonium.

6. An autem, adveniente conditione, antequam novum consensum legitime adhibeant conjuges, oriatur publicæ honestatis impedimentum, tanquam à sponsalibus, atque adeo usque ad primum gradum dumtaxat; an vero tanquam à matrimonio jam rato, adeoque usque ad quartum gradum, quæstio est apud Doctores. Nam aliqui volunt matrimonium sub dicta conditione celebratum, adveniente conditione non habere vim nisi sponsalium, antequam de novo rite consentiant sponsi, & hi debent consequenter tenere, nunc oriri, impedimentum tantummodo usque ad primum gradum. Aliqui vero contendunt dictum matrimonium jam habere totam vim Matrimonii rati, & hi debent consequenter docere oriri impedimentum usque ad quartum gradum. Quoniam vero nos infra Tr. 4. de consensu §. 4. n. 11. docebimus, utramque sententiam esse probabilem, sed priorem probabiliorem, ideo, idem dicimus in præsentia de impedimento. Lege id breviter apud G. Hurt. d. 2. 1. matr. diff. 2. n. 8.

CAPUT XII.

Impedimentum Undecimum.

AFFINITAS.

§. I. Quid sit, & quatenus extendatur.

Affinitas est propinquitas, seu attinentia quædam, quæ ex copula carni (quam completam vir, & mulier, sive licite per conjugium, sive illicitè per culpam habent) provenit inter consanguineos viri, & dictam mulierem, & inter consanguineos molieris, & dictum virum. Cum enim vir, & mulier per copulam, vel semel habitam, fiant una caro, & unum principium ejusdem filii, merito consanguinei utriusque ad ipsos attri-
nebunt, modo dicto; quæ attinentia vocatur Affinitas, quia consanguinei alterius (quilibet juxta suum gradum) veluti accedunt ad fines alterius. Ipsi vero vir, & mulier copulam habentes non sunt, nec vocantur affines, secundum Sanchez, l. 7. d. 64. num. 4. G. Hurt. d. 20. diff. 1. n. 1. Perez d. 3. 1. sec. 2. sed sunt una caro, & vocantur stipites Affinitatis, sunt enim radix, seu causa, unde cæteri fiant affines.

2. Quoniam vero Affinitas habet, ut dictum est, suos gradus, perinde, ac consanguinitas, ad eos distinguendos solet à Canonistis hæc dari Regula. *Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, non gradum attinentiæ.* Merito dicitur (mutat genus) nam ex consanguineis fiunt affines & merito dicitur (non gradum) quia eo gradu quo erant consanguinei, fiunt in eodem gradu affines. Sed clarius habet sequentem Regulam explicantem illam Canonistam, Quotogradu consanguinitatis, est quis conjunctus, vel distat ab uno ex illis, qui copulam inter se habent, eodem gradu affinitatis est conjunctus, vel distat ab altero ex ipsis, qui prædictam copulam habent. Si ergo Antonius v. g. est in primo gradu collateralis cum Titio, id est ejus frater, erit affinis in eodem gradu cum Maria, cum qua Titius per copulam se conjunxit, in eodem gradu affinis erit Berta soror Mariæ cum dicto Titio. Pari modo, si Cæsar est pater Titii, atque adeo in primo gradu cum ipso conjunctus in linea recta erit affinis in primo eodem gradu in linea recta cum Maria, & similiter in eodem primo gradu erit pater Mariæ cum Titio, & sic de cæteris, mutando semper nomen consanguinitatis in Affinitatem, & ut dictum est, servando semper eundem gradum.

3. His declaratis, dicendum est, Affinitatem ortam ex copula licita; hoc est inter legitimos conjuges, hodie esse impedimentum dirimens subsequens matrimonium usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusive: Affinitatem vero ex copula illicita, id est fornicaria, hodie esse impedimentum dirimens idem matrimonium subsequens, solum usque ad secundum gradum ejusdem consanguinitatis inclusive. Ratio est expressa dispositio Tridentini sess. 24. cap. 4. de reform. matr. confirmantis Decretum (C. Non debet de Consang. & Affinitate) Innocentii III. in Concilio Lateranensi.

4. Dixi (hodie) nam antea multo latius ejusmodi Affinitas extendebatur, tunc enim affinitas patiebatur affinitatem, ut habes latè apud Sanchez, l. 7. d. 67. At vero, nunc certa Regula illa est: *Affinitas non parit affinitatem.* Quare hodie inter consanguineos Mariti, & consanguineos uxoris nulla est affinitas, nam solum est inter consanguineos Mariti, & uxorem, & inter consanguineos uxoris, & Maritum.

5. Ex dictis ergo fit ut duo fratres possint sine dispensatione accipere duas sorores, vel soror, & frater Petri v. g. copulati matrimonio cum fratre, & sorore Antonii v. g. Item fit, ut unus ex fratribus ducere possit viduam, & alter frater possit ducere filiam ejusdem viduæ genitam ex mortuo marito. Item, ut Pater ducere